

R. N.
430
2.

X 185 15

II c
1196

A & Ω.

ORACVLLVM APOLLINIS DEL- PHICVM

PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO

Histor. Prof. Publ.

Placidæ Συμφιλολογόντων disquisi-
tioni sisto

JO. DAVID HEBENSTREIT
NEOSTADIENSIS VARISCVS.

Ad d. Octobr. Anno MDC LXXV.

JENÆ.

STANNO BAVHOFERIANO.



40



GRACIA

ALFONSO

PHILIP

CASPAR

PHILIP

JOHANN

LEONHARD

LEONHARD

LEONHARD

LEONHARD



ΣΥΝ ΘΕΟΥ ΠΑΛΑΜΑΙ!

PRÆFATIO.




Insensissimus generis humani hostis cum satellitio suo nullam aliam ob causam e cœlo detrusus, æternæ beatitudinis & voluptatum verarum ac maximarum jacturam fecit, quam quod *similis DEO esse voluit*. Minime competebat illi honor tantus, tantaque dignitas, quantam sibi DEVS OPT. MAX. soli vindicabat: & is affectabat tamen. Imo postquam abjectus est justo DEI judicio in sempiternas ac spissas tenebras, non destitit nomen & cultum divinum sibi quærere. Hinc hominum, quos antea in maximas deduxerat miserias, cum DEO similes esse ipso suggerente gestirent, effrænata corda excœcavit, ut ipsum instar Numinis venerarentur & adorarent. Quid? quod eo perventum, ut maximam orbis partem a suo nutu pendentem haberet, variisque in locis sacraria sibi statueret, ibi appareret, cumque illis qui colerent eum familiariter colloqueretur. Ejusmodi sacraria fuerunt gentilium Oracula, quorum multa diabolus in Græcia & alibi instituit, ad quæ mira vafricie & fraudulenta arte homines alliciebat, sibi que nomen ipsius Dei apud illos conciliabat. Inter oracula illa celebriora celeberrimum fuit *Delphicum*: de quo jam scribere animus est. Licuisset quidem multa de oraculis in genere præmittere, & quæ generaliora concernerent afferre: sed dum illa nostrum transcendunt institutum, L. B. potius remittimus ad eos, qui de *Oraculis gentilium* commentati. Sunt illi inter alios Bünsoyus, Mœbius & Clasenius, ex quibus hic civis Luneburgen-

sis, ac Gymnasii patrii quondam, nunc inclytæ Juliæ Professor Juris celeberrimus prolixè & exactè hoc argumentum tractavit. Nos divino auxilio freti rem ipsam aggredimur, & proponimus.

CAPVT I.

Diabolus Oraculorum gentilium auctor. Plurima eorum in Græcia constituit. 1. Cur? 2. Oraculum Delphicum. 3. Antiquissimum. 4. Origo oraculi. 5. Urbs Delphi ubi sita? 6. An in medio terrarum? 7. Situs urbis. Mons Parnassus. 8. 9. Civitas unde Delphi dicta? Pytho dicta. Unde? Non a πυθόνας. 10. Nec a Pythone serpente ab Apolline interfecto. Pytho serpens. Ejus magnitudo 11. Urbs Pytho nec dicitur ἀπὸ τῆς πυθόνας. 12. Sed a אֱפֹרַיִת Ebr. Apollo sive Sol in Græcia sub specie serpentis adoratus. 13. Apollo. 14. Ante Apollinem Themis Delphis colebatur. 15. Apollo Delpho advenit. Adytum occupat. 16. Apollo unde dictus? a perdendo. 17. Diabolus multorum mortis & exitii causa. 18. Phœbus. Φάω luceo. Φάω occido. Diabolus ψεύς & ἀνδρωκτόν. Apollo Pythius. 20. Amphrysus. Amphrysus flumen. Amphrysia vates. 21.

§. I.

racula passim apud Gentiles reperta plurima sunt, ad quæ futura cognoscere gestientes, vel de rerum suarum & actionum fortuna successuque solliciti convolabant, eademque consulebant. Horum si auctorem quæramus, nullum profecto certiore inveniemus, quam ipsum Diabolum. At certum tamen est, nusquam plura eum constituisse oracula, quam in Græcia.

§. II. Ejusce vero rei causa quæ sit, qui quærat, is a Peucero de divinatione cap. de oraculis p. m. 139. responsum sibi habeat: *Quod diabolus eam gentem præ ceteris pronam in superstitiones ruere, avidissime arripere, admirari atque amplecti nova quævis, motu levissimo & stolidam garrulitate effutire ea, proclamare, atque extollere, eoque nomine huic suo instituto aptissimam esse nosset.*

§. III.

§. III. Inter tot autem alia Delphicum & antiquitate & claritate eminuisse constat. Clarissimum illud fuisse omnium, testatur Alexander ab Alexandro Gen. Dier. l. VI. cap. II. pag. 603. *Inter oracula, inquit, quæ apud Græcos Afrosque præcipuo cultu fuerunt, ad quæ homines ventitabant, Delphicum in terris clarissimum fuit, cultu & religione longe excellens.* Et quidem certe magnificus non modo erat cultus (quem omnes magnopere admirabantur) sed & decantata Pythiorum responsorum veritas: quo de infra cap. III. agetur. Græci enim Scriptores magnopere illam, ut & ipsum Oraculum de prædicabant, scriptisque suis per totum orbem reddebant clarissimum. Hinc legimus in veteribus historiæ monumentis, nusquam frequentiores confluisse ex variis locis terrarum summos, medioximos, infimos, qui consulerent oracula, quam ad hoc ipsum. Addit Strabo, non minus hoc oraculum inclaruisse ab urbis situ, quem orbis medullium existimaverunt. De quibus plura differentem vide Clasenium *lib. II. cap. II. pag. 246. 247.*

§. IV. Antiquissimum etiam hoc oraculum fuisse docet Joseph. Veccius disert. de *Oraculo Arietino c. II. pag. 9.* quippe quod longe ante Trojæ excidium floruisse opinetur, quod de aliis vix dici possit. Cui quoque pollicem premit Janus Boissardus de *Divinatione*, apud Clasenium pag. 246. Et Peucerus comment. de *Divinatione*. cap. de oraculis pag. m. 140. appellatione vetusta Parnasi motus, id post primi diluvii tempora sub Noachi posteris coli cœpisse affirmat.

§. V. Quod ad originem attinet hujus oraculi, a capris fertur initio inventum, primusque fatidico spiritu impletus vaticinia protulisse earum pastor Coretas. Quod quo pacto acciderit, prolixè describit Diodorus Sic. l. XVI. *Bibliothec. histor.* num. VI. Ejus græca verba cum Laur. Rhodmanni versione laudat Clasenius l. II. cap. II. Errasse ait Dio-

dorus capellas in montis rupe circa locum illum, ubi postea adytum fuit. Factum autem esse, ut quotquot illarum ad fo-veam accesserint propius, mirifice exsultarint, ridiculos-que gestus efformarint. Narrat porro Pastorem ejus rei admiratione captum semet etiam ad antrum deportasse, quid nimirum novi sit, experturum. Simul atque vero eo perve-nerit, virtute illa occulta afflatum fuisse, & futura prædixisse. Rumore deinde perlato ad rupis accolas, frequentes illos o-mnes advolasse, singulosque quando appropinquarent pro-fundo, fatidico inflatos spiritu verba de futuris fecisse. Hinc quod collegerint orbis terrarum hunc locum oraculum esse, ibi templum extruxisse; & quamvis antea indiscriminatim omnes vaticinati essent, quod tamen ea res cum vitæ pericu-lo conjuncta, peculiarem constituisse vatem. Hæc sunt quæ de origine adducenda duximus.

§. VI. Delphi, in quo fanum fuit Apollinis, locusque oraculi, Phocidis fuerunt oppidum, in Parnasso Bœotia monte situm. Hanc civitatem totius orbis terrarum umbili-cum, id est, mediū, tenuisse, censet Tiraquellus in *notis ad Alex. ab Alexandro* pag. 116. & seq. hincq; narrat in templo Delphi-co asservatum fuisse umbilicum, fasciis velatum, ut argumen-to possit esse, hunc locum esse in umbilico, hoc est, medio ter-rarum orbe. Quam opinionem tanquam incertam merito rejicimus.

§. VII. Qui tamen pugnant pro eo, ac si Delphorum urbs in meditullio orbis posita, præsidium in hoc quærunt, quod hic asservatæ fuerint duæ aquilæ aureæ (Strabo cor-vorum meminit l. IX. pag. m. 292.) in memoriam ejus, quod Jupiter duas aquilas pari velocitate pollentes diversis in mundi plagis emisserit, quas ajunt Delphis convenisse, ibique terræ esse medium indicasse. Sed quam sint hæc fabulosa, plu-ribus monstrat Clasenius pag. 268. & seq.

§. VIII. Porro de situ urbis, montisque Parnassi, ubi ci-
vita-

vitatem frequentia hominum facit (quæ sunt verba Justinii lib. XXIV. cap. VI, §. 6.) sequentia habet Strabo lib IX. Geograph. Montis Parnassi latus Austrinum tenent Delphi, locum saxosum, theatri forma, in cujus vertice fanum est. Urbs ipsa Delphis quavis ex parte in clivum resupinatur, & eodem sane est, quo oppidum situm, sacrum Apollinis septum.

§. IX. Merentur nec non legi, quæ Justinus lib. XXIV. cap. VI. §. 7. de hoc in medium affert oraculo, situm in primis urbis Delphorum templique concernentia. Munitionissimam civitatem isthanc fuisse, non arte, sed ipsa natura, docet idē: *Templum, inquit, civitatemq; non muri, sed præcipitia, nec manu facta, sed naturalia præsidia defendunt, prorsus ut incertum sit, utrum munimentum loci, an majestas DEI plus hic admirationis habeat.*

§. X. Hæc civitas Delphi dicitur a Delpho Apollinis & Thytæ filio. Pausan. l. X. Sed & alio nomine Pytho vocabatur. Coelius Rhodiginus *Var. Lectio. l. XVI. Pytho, inquit, civitas erat in Phocide, cujus incolæ dicerentur Delphi.* vid. etiam Alex. ab Alexandro l. VI. *Dier. Genial.* & Majolus lib. II. *Dier. Canicular.* Sed unde sic dicatur dissentiunt Auctores. Phurnutus, teste Neandro in not. ad Theogn. p. 160. arbitratur, dici illud *ἄν τῶ πύθαιεδα*, a *scitando, consulendo oraculum:* quod improbat Mœbius pag. 32.

§. XI. Alii eam dictam volunt a Pythone serpente, quem Apollo ibidem sustulerit. De quo operæ pretium erit non nihil in medium afferre. Fertur immanis draco fuisse aut serpens Python, qui templum Delphicum Themidis custodierit, tantæ molis, ut totum Parnassum montem occupaverit, caudaque sua arboribus innexa humum eas deflexerit. Vide quæ de eo affert Barthius ad *Papin. Stat. tom. III. pag. 260. & 345.* itemque ad *Claudianum præfat. in Ruf. pag. 1073. & seq.* De eo sic ibidem Claudianus:

Qui

Qui spiris tegeter montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra jubis.

Vide eundem Barthium *ad Papin.* tom. II. pag. 190. Hunc quod trucidasset Apollo, perhibent nomen inde sortitum esse locum sive urbem, ubi tam grande visum, occisumque monstrum sit.

§. XII. Alii malunt eam dici $\Sigma\pi\epsilon\ \tau\epsilon\ \pi\upsilon\theta\epsilon\omega\delta\alpha$, quod est *putrefieri*. Horumque nonnulli arbitrantur, quod Python serpens, qui ab Apollinis sagittis antea confectus, Solis radiis computruerit: nonnulli vero, quod Typho Pythus incolae Apollinis sagittis confosus ibidem interierit, inhumatusque a Sole consumtus fuerit. Quo pertinent haec Homeri hymno in Apollinem:

— Ο δ' ἐπὶ ξατὸ φοῖβος Ἀπόλλων,
Ἐνταυθοῖ νῦν πύθει ἔπι χθονὶ βωπιαίρῃ.

*Phœbus vero Apollo precatus est; ibi nunc putrescas in terra populosa,
Et paulo post;*

— — Οἱ δὲ ἄνακτα
Πύθιον καλέσῃν ἐπώνυμον, ἔνεκα κείθι
αὐτῶ πῦσε πέλωρ μέν ὄξέ ἡελιοῖο.

Inde vero Regem Pythium cognominarunt, quod monstrum illic Solis radiis putruit.

§. XIII. Rectius existimat Mœbius de *Oraculis Gentium* pag. 32. Python vocem natales suos debere Hebraico נָּחָשׁ i. e. Python, generi serpentis venenatissimi. Quod aliis etiam *aspida* vel *draconem*, nec non *basiliscum* dici testis est. Allegat in suam hanc sententiam Fesfelium *Adversar. Sacror.* I. V. Consentit Becmannus in *Originibus*, ut & Gerh. Joh. Vossius *Aristarchi Grammat.* lib. I. cap. X. Et hic quidem in ea est opinione, quod post Cadmi Phœnicis in Græciam adventum Sol, sive Apollo ibidem sub serpentis specie coli cœperit: hincque oppidum Delphorum *Pycho* dictum fuerit. *Nec mirum, ait, si Cadmus hunc cultum Græcia intulerit, quando quidem & in Canaan*

nanæa fatidicum illud numen serpentis imagine colebatur, indeque
1. *Sam. libro cap. XXVIII. Pythonis a Saulo consulta vocatur Do-*
mina ob $\Delta\iota\alpha$ *Ob seu Oph, hoc est, serpentis. Ab hoc etiam Hebræo*
vocabulo $\Delta\iota\alpha$ *Græcum* $\beta\alpha\sigma\iota\varsigma$ *derivari placet Voffio l. c.*

§. XIV. Hoc Oraculum sacrum fuit qui ibidem vati-
cinabatur, Apollini, Jovis & Latonæ filio, de quo legi potest
Natalis Comes *Mytholog. lib. IV. cap. X. pag. 344. & seqq.*
Nam de eo, quis fuerit, quibus natus parentibus, ubi vitam
degerit, quæ gesserit, nihil nunc attinet disputare, nec lubet
tam longe vagari (quod ajunt) extra oleas, sed nostrum po-
tius prosequentes institutum, in eo occupabimur, ut narre-
mus, qui factum, ut responsa dederit Delphis.

§. XV. Antequam Apollini Delphis sacra fierent, ibi-
dem culta est & oracula fudit Themis. Postquam vero Apol-
lo vaticinandi artem a Pane edoctus eo venerat, is occupavit
postea oraculi sedem. Hinc locum oraculi Claudianus ap-
pellat *Themidos antra*, præfat. in Rufinum, ubi Apollinis in
Phocidem adventum describit. Et Lucanus *Themidem regna*
tripodasque tenuisse scribit.

§. XVI. Cum itaque pervenisset Delphos, & a draco-
ne supra memorato templum ac antrum adire prohiberetur,
eum sagittis suis interfecit, idque cum adhucdum puer esset.
Occisionem namque hujus immanis serpentis Barthius l. c.
pag. 346. *puerile Apollinis bellum* appellat. Lucani locus,
qui idem testetur, hic est: l. V. v. 49. seqq.

Ultor ibi expulsa premeret cum viscera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona sagittis
Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret.

Pæan enim est Apollo. Adventum ejus pariter & luctam
cum custode Pythone describit Apollodorus, lib. I. cujus la-
tine facta sic habent: *Apollo autem divinandi facultatem edoctus*
a Pane Jovis & Contumeliæ (Thymbreos) filio Delphos, quo tem-
pore Themis illic oracula dabat, se contulit. At cum templi custos Py-

B

tho



tho serpens ab hiatus aditu prohiberet Apollinem, hoc perempto Deus templum occupat.

§. XVII. Apollo unde denominetur, disceptatur inter Philosophos. Certum enim est, ethnicos hoc nomine Solem indigitasse, & tanquam Deum adorasse. Id quod etiam ex origine hujus vocis colligi posse asserit, eamque in rem Macrobiani locum laudat Elias Schedius de *Diis Germanis* Syngramm. l. cap. IV. ubi varias derivationes affert. Quidam enim deducunt ab α privante particula & $\pi\omicron\lambda\upsilon\varsigma$, quasi eorum non sint plures: quod cum latino *Sol* in tantum convenit, qui inde videtur dici, quod fit *solus*. Plures adducuntur derivationes, quas omittere volupe est. Unam tantum laudabo. Nimirum ab α $\pi\omicron\lambda\lambda\omicron\mu\epsilon\rho\delta\omicron$, arcesunt nonnulli, idque ob eam causam, quod Apollinis sagittæ, id est, Solis radii, pestilentiam immittere orbi credebantur, propter Solis astrorumque æstum. Videatur Barthius ad *Papin.* tom. II. pag. 215. Aridet etiam hæc notatio Julio Firmico, de *errore religionis* & Fulgentio *Mytholog.* l. I. c. XI.

§. XIX. Inter tot etyma, nullum, nostra sententia, melius ipsi rei & eventui respondet, quam quod a *perdendo* desumitur. Vi itaque vocis istius *Apollo* idem est ac *Perditor*. Et sane quam summo optimoque jure id nominis debeatur diabolo per hoc oraculum vaticinanti, plerumque eventus docuit. Per responsa enim sua consiliaque homines, quorum mentes fascinaverat, iis ut fidem haberent, in extremum sapissime vitæ & salutis discrimen deduxit & exitium. Qua de re optime dixit Eusebius *Præparat. Evangelicæ* lib. V. c. XIX. pag. 210. Ὅποσους ὁ Ἀπόλλων ἀπὸ τῆς τῶν χρησμῶν ἀμφιβολίας θανάτου αὐτοῦ γέγονε; *Quam multis Apollo per responsorum ambiguitatem mortis causa exstitit?* Nec dicit tantum, sed prolixè quoque probat exemplis Oenomai Cræsiq̄ue: quemadmodum pluribus edocet Clasenius l. I. c. I.

§. XIX.

§. XIX. Aliud huic Deastro nomen erat *Phæbus*, quod a $\Phi\acute{\alpha}\omega$ *luceo* sunt qui deducant. Quod enim fatidicus crederetur Deus, putabant illum obscura & in tenebris latentia aperire, inque manifestam lucem producere. Præ ceteris scilicet Diis arcanorum fatorum conscius dicebatur, cum hæc ante ejus indicium ipsa soror, carissima licet Jovi patri filia Diana ignorarit. Vnde Martianus Capella:

Hinc Phæbum perhibent prodentem occulta futuri.

Sed an id nominis jure illi competat, valde dubites. Tantum enim abest, ut obscura explanarit, deque dubiis alioqui rebus scitantes certos reddiderit, ut etiam obscuris suis ambiguisque responsis in eam dementia pectora deduxerit caliginem, qui incertiores multo, quam advenerint, abierint. Ad superius ejus nomen alludere si licuerit, nomenque ipsi rei æquare, non incommodum foret dicere, ei appellationem hanc a $\Phi\acute{\alpha}\omega$ *occido* esse: ut quemadmodum supra *perdens* nuncupabatur, hic diceretur *homicida*. Quod iterum quam bene in diabolum quadret, ipsa VERITAS monstrat, Joh. VIII. ubi illum & $\psi\epsilon\upsilon\sigma\eta\nu$ vocat & $\alpha\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\chi\epsilon\upsilon\omicron\nu$: quos titulos, vel propter sola, quibus præfuit, & per quæ locutus est, gentiliū oracula *mereretur*.

§. XX. Sed nunc etiam aliquid dicamus de Apollinis cognomine. Varia quidem eorum habuit, quæ recenset Natalis Comes *Mytholog.* l. IV. c. X. pag. 364. & seq. at unicum tamen in primis huc spectat, quod a loco, quo in vaticinatus, ei inditum, nempe quo *Pythius* nuncupatur. Non sine ratione dixi, a loco, ubi cultus, sic nuncupatum. Neque enim ad palatum est eorum derivatio, qui $\alpha\pi\omicron\tau\grave{\epsilon}\pi\upsilon\theta\acute{\epsilon}\alpha\delta\alpha\upsilon$ aut $\pi\upsilon\theta\acute{\epsilon}\alpha\delta\alpha$ aorist. II. ejusdem verbi deducunt, quod *interrogare*, *querere ex aliquo*, significat. Nec probat se nobis eorum opinio, qui derivant $\alpha\pi\omicron\tau\grave{\epsilon}\pi\upsilon\theta\acute{\epsilon}\alpha\delta\alpha$, quod *Sol* (sive *Apollo*) calore suo omnia *putrefaciat*. Nec originem vocis repetimus a *Pythone* serpente, aut *Typhone* *Pythus*, id est, *Delphorum* incola, quem

quem vita privasse dicitur Apollo: sed, ut jam monuimus, ab ipsa urbe *Pytho*, id est, *Delphis*, qua in sacra ipsi fiebant. A parte nostra stat celeberrimus *Vossius Aristarchi Gramm. l. I. cap. X.* Ut ita *Pythius* dicatur *Apollo*, & *Oraculum Pythium*, non secus atque *Delphicus Apollo*, *Delphicum Oraculum*.

§. XXI. Pari ratione quoque *Amphrysius* appellatus est, ab *Amphryso* Magnesiæ fluvio in Thessalia. Fabulantur enim Poetæ Apollinem aliquando ex cælo detrusum, divinitateque exutum (ut tradit *Servius in l. II. Georgic. Virgilii*) integrum annum servisse *Admeto* Regi, bovesque ad *Amphrysum* flumen pavisse, effecisseque ut singulæ vaccæ gemellos eniterentur: quod memorat *Apollodorus*, etiam *Barthio in Animadv. ad Papinium Statium tom. I. pag. 128. & 312.* laudatus. Videatur etiam *Hermolaus Barbarus ad Plinium l. XXXI. cap. II.* Hinc *Vates Amphrysia* apud *Virgilium VI. Æn. v. 398.* alia non est, nisi *Sacerdos Pythia*: quam in rem observationem consule *Taubmannianam*.

CAPVT II.

*Cultus Oraculi Delphici. 1. Templum magnificentum. A quo exstructum? Architecti. Merces eorum. 2. Templi magnificentia, divitiæ, concursus peregrinorum. 3. Memorabilia templi. In eo scribebantur graves Sapientum sententiæ. 4. Instrumentum dentiducum plumbeum hic asservabatur. Cur? 5. Ibi interfectus Neoptolemus. 6. E sive EI Græc. huic templo inscriptum. 7. Quid significaverit? an V. Græcorum Sapientes? 8. An Hebræorum אלהים Deus, עליון , sive Esse summum & perfectissimum 9. Pytheum. 10. Adytum. Unde dictum? 11. Adyta sacella prope templa, in quibus DEorum simulacra ponebantur. 12. Egyptiorum adyta ipsi penetrare licitum. 13. Adytum antrum subterraneum in templo Delphico. 14. *Hesychio* vocatur σπήλαιον . 15. *Tripus*, Aureum vas. 16. A quo inventus? Sapientissimo mitte debebat. Consecratur Apollini. 17. Tegebatur lamina aenea. 18. Quid *Cortina* fuerit. 19. ὄλυμπος . 20. *Cortina* theatri. *Cortina* cæli. 21. *Adytum* ipsum quandoque dicitur *Cortina*. *Aquila* prope *cortinam*. *Cortina* vas rusticum. 22. *Sacerdos Apollinis* scæmina fuit. *Primo* *virgo*, post*

post vetula. 24. Pheemonoe carminis heroici inventrix. 25. Sacrificia Delphica. 26. Festa & ludi Pythii, tam apud Græcos, quam Romanos. Romæ Decem-Viri sacra faciebant. Coronæ laureæ. Ante inventam laurum palmis coronabantur & esculo, post lauro. 27. Instituta hæc festa in memoriam victoriæ Apollineæ. 28.

§. I.

Postquam quæ ad originem spectabant hujus oraculi, locumque ubi colebatur, consideravimus, agemus nunc de iis, quæ ad cultum Apollinis, religionemque pertinebant.

§. II. Hic autem in ipso statim limine se offert templum magnificum in monte Parnasso situm: quod paucis superiori capite §. VIII. & IX. attigimus. Extruxisse hoc templum Cecrops Atheniensium Rex, dicitur Meursio l. I. de Regno Attico cap. VII. qui eam in rem adducit Alberti Stadenfis Abbatis testimonium, quod tanquam recentioris ævi scriptoris tanti non esset, nisi idem Meursius id etiam ex Eustathio in *Hom. Iliad. I.* Antiquo Pindari Scholiaste & Tzetze in Hesiodi *ἔργ. ἡ ἡμερ. l. I.* probare videretur. Hos enim paulo ante allegavit l. c. Architecti teste Plutarcho in *Consolat. ad Apollon.* fuerunt *Agamedes & Trophonius.* Plutarchus d. l. ex Pindaro recenset, hos architectos confecto jam opere mercedem postulasse ab Apolline, qui receperat se septima die exsoluturum: cum vero tempore definito pretium accepturi essent, diem supremum obiisse.

§. III. Quanta fuerit hujus templi magnificentia juxta ac opulentia, vel facere conjecturam poterimus ex eo, quod ex universo terrarum orbe tot auctoritate regia splendidissimi, virtute præcipui, opibus multis pollentes oraculum consulturi huc proficiscerentur non modo, verum etiam multa pretiosissima munera, thesaurosque aureos & argenteos secum afferentes, in templo deponerent. Audiamus de his Alexandrum ab Alex. l. VI. *Gen. Dier. c. II. pag. 604.* ita disserentem: *Delphos ex omni orbe viri principali dignitate insignes frequentes consultum ibant, eaque ex omnibus vera & longe clarissima*

oracula habita sunt. Janus vero Boisfardus pag. 108. & seq. de Divinat. ait: Nullum fuit in tota Græcia templo Apollinis magnificentius, aut donariis locupletius. Theognis etiam adytum templi, (de quo postea) vocat *πίον ἀδυτον*, pingve adytum, haut dubie propter ingentes thesauros ibi depositos. Videatur Michaël Neander *Notis ad Theognidem* p. 360. Multa, quæ hic visa sunt, enumerat Clasenius lib. II. cap. II. pag. 254. quem omnino consule.

§. IV. Subjiciemus jam quædam præ ceteris memorabilia de hoc templo a Scriptoribus tradita. Et primo quidem ferunt Sapientes Viros in more habuisse, ut graves ac prudentes sententias in hoc templo scriberent. Videatur Neander *Operis Aurei Scholastici* pag. 9. & 38. Pontanus *Notis ad Progymn.* l. c. XXIX. Huc spectat illud *γνώσι σεαυτὸν*: quod, credo, hac de causa Cicero l. I. de legibus Apollinis Pythii Apophthegma nuncupat, dum in ejus templo scriptum affirmat: nec præterea certus quisquam Auctor indicari potuit. Tusculanarum autem Quæstionum l. I. illud explanans acriorem quendam animum ejus auctorem facit, id est, virum sapientem, cum ait: *Hunc igitur (animum) nosse nisi divinum esset, non esset hoc acrioris animi præceptum, sic, ut tributum DEO sit.*

§. V. Deinde hoc in templo depositum servabatur *instrumentum dentiducum plumbeum*: quod scilicet apud antiquos lege cautum, ne quis dentem, qui non vacillet, suaque quasi sponte vel plumbeam odontagram sequatur (quæ sunt Reinesii verba) loco suo dimoveat. Enimvero Herophilus & Heraclitus Tarentinus observant, quosdam ob violentam dentis extractionem animam exhalasse: id quod refert Erasistratus apud Coelium Aurelianum, teste Reinesio *Variarum Lectionum* l. III. c. XII. p. 538.

§. VI. Porro hoc in templo interfectum tradunt Neoptolemum. Erasmus Roterodamus in *Adag. Neoptolemi vindicta*. Hoc proverbium ortum ait ex eo, quia Neoptolemus Del-

Delphis ad Apollinis aram occisus sit: ac in illos dici solet, qui malo, quo affecerunt alios, rursus afficiuntur & ipsi. De Neoptolemo Euripides in Oreste: θανεῖν γὰρ αὐτῶ μοίγεα Δελφικῶ ξίφει: In fato enim illi est Delphico gladio mori. Factum hoc est Orestis instinctu. Id quomodo sit gestum vide apud Neandrum in *Notis ad Tryphiodorum* pag. 127.

§. VII. Hic quoque scripta visebatur quinta Græcorum littera E: quo de consulendus Vossius *Aristarchi Grammatici* l. I. c. XIII. Per EI eam antiquis pronunciatam esse scribit Cl. Fabricius apud Dilherrum *com. II. disp. IX. de Diaboli Cacozelia* pag. 172. idque probat verbis Athenæi l. X. a Sam. Petito VI. *Miscellaneorum* c. XV. citatis. De hac littera scripsit Plutarchus librum, cujus hic titulus: *Ἐὶ τῆ E* (s. etiam EI) *τῆ ἐν Δελφοῖς.*

§. VIII. Quid vero hoc ipso intenderit, quisquis scriptionis auctor, non eadem est sententia omnium. Plutarchus in suo de EI libello, teste Vossio, probare satagit, nihil esse aliud, quam quintam Græcorum literam, quæ alioqui etiam numerum quinarium denotat. Hinc putat, litera hac intelligi quinque Græciæ sapientes. Ad Vossium *Aristarchi Gram.* l. I. c. X. pag. 49.

§. IX. Non minima vero est diabolicæ κακοζηλίας pars, si per illud EI (quæ est Fabricii sententia) exprimere, sibi quoque arrogare Hebraicum *DEI Opt. Max.* nomen sanctissimum *יהוה* voluit, quod ab *יהוה* fuit, deductum significat *ἔ ἐῖνα* sive *Esse* (ut philosophi loquuntur) *perfectissimum*, ipsum *τρισάκων* DEVM.

§. X. Hoc templum aliter dicitur *Pytheum*, græce *πυθῆιον*, quod indicat Mœbius *de Oraculis Gentil.* pag. 32. hanc forte ob causam, quod ibi Pythius Apollo cultus sit; aut quod ibidem sub tripode, ubi dabantur responsa, *anguis* (*πύθων* seu *draco*) latuerit: quo de Dracone legas *Natalem Comitem Mytholog.* l. IV. cap. X. pag. 353.

§. XI. In

§. XI. In templo Delphico locus quidam erat sejunctus, in quo reddebantur responsa. Dicebatur autem ille Adytum, Græcis ἀδυτον seu locus inaccessibilis ab ἀ στερητικῶ & δύνω sive δύνω accedo deductum. Dicitur autem ita, non quod plane ad illud perveniri non potuerit, sed quod nemini prorsus præter Sacerdotem intrare illud sine periculo haut exiguo licuerit. Erat autem crypta seu antrum profundum, ubi collocatus erat tripus, cui insidens Pythia consulentibus respondebat.

§. XII. Est quidem vocabulum *Adytum*, ut vocant, ἑμῶνυμον sive *equivocum*. A nonnullis enim *Adyta* vocantur sacella, ubi idola sive Deorum simulacra erant reposita: & ad hæc, præter Sacerdotes accedere etiam licebat Oraculum consulentibus, sed illis tamen Paganorum prius ritibus expiatis consecratisque. Vide Clasenium l. I. pag. 75.

§. XIII. Sic Ægyptiorum *Adyta*, in quibus sapientiam occultam aliis, atque ideo vocatam mysticam, sibi conciliabant, celeberrima quondam fuere. Plurimos Græcorum sapientum eo profectos accepimus, ut majoris sapientiæ cognitionem acquirerent. Ita Pythagoras, (qui ultimas terras peragravit, quod ubi quid esset, quod dici possit, eo judicaret veniendum, Ægyptum lustravit, & Persarum Magos adiit, ut testatur Jacotius Vandoperanus de *Placitis Philosophorum* c. VII.) *Adytis* his frui admodum gestiebat. Quod vero hæc intrare non cuivis statim erat licitum, nisi ceremoniis prius solemnibus initiaretur, etiam se circumcidi passus est. De eo sic scribit Clemens Alex. l. I. *Strom.* Ὁ Πυθαγόρας ἀπειτέμνετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἀδυτὰ κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν. *Pythagoras circumcidebatur, ut ingredi Adyta, & ab Ægyptiis mysticam philosophiam discere posset.* Ex quibus Clementis patet, Pythagoram, nisi prius circumcisum, ad *Adyta* Ægyptiorum non admissum. Legatur Clasenius l. I. cap. XI. pag. 77. Geminum testatur de aliis Justinus Philosophus & Martyr, *Quæst. ad Orthodoxos*: ubi de hieroglyphica Ægyptiorum

rum

rum sapientia scribit, illam eo tempore in pretio fuisse apud Ægyptios, utpote quæ in adytis tradita fuerit lectissimis quibusque, non hominibus de trivio. Ceterum de his Ægyptiorum adytis Eusebius l. II. de *Preparatione Evangelica* sic ait: *Adyta Ægyptiorum & Tyrrhenorum necromantiæ caligine damnantur: furiose omnino sunt fraudes hominum infidelium, & erroris meri ludibria.* Videantur Clasenius l. c. & quæ adducit, verba Athanasii Kircheri ex *Oedipi Ægyptiaci* Tom. I. Syntagm. IV. cap. XXIII.

§. XIV. Adytum vero Delphicum nihil fuit aliud, quam, uti dictum, crypta illa, sive antrum subterraneum, in quod responsura vates Pythia descendebat super tripodam, ibidem stantem. Et hoc quandoque etiam dicitur *antrum*. Sunt tamen qui distinguunt *antrum* ab *adyto*, & id fuisse volunt ex quo responsa dabantur: hoc vero antri quasi vestibulum, aut sacrarium potius, in quo sacra fiebant Apollini. Istud sequentibus verbis describit Clasenius: *Antrum est locus aliquis profundus DEO alicui sacer, ex quo consulentes oraculum ab ipso accipiebant responsum. Tale antrum fuit Delphis, in quo Pythia hærebat, quando vaticinabatur.*

§. XV. Quod adytum nihil aliud fuerit, quam ipsum antrum, ex quo responsa dabantur, patet ex illo Theognidis, qui Apollinem dicit

— — — — — Ἱερεῖα
 Ομφὴν σημήνει πῖον & ἐξ ἀδύτης.

Sacerdoti oraculum significare ex pingvi adyto. Nam & *adyla* Georgius Ambianus ad Tertullianum de *Anima* pag. 1004. describit per *antra seu loca subterranea, nulli quam vati accessibilia.* Hoc antrum Hesychius vocat *σπίλαμον*, *antrum profundum & obscurum.* Clemens Alexandrinus *barathra præstigiis plena.* Justin. l. XXIV. *Profundum terræ foramen, quod in oracula patet.* Euseb. l. II. de præp. Evang. *profundorum antrorum hiatus.* De Delphico adyto sic Prudentius in *Apotheosi*:

Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra.

III V X

C

§. XVI.



§. XVI. Laudato in antro positus erat tripus, qui vas erat ingens aureum tribus pedibus fultum, ut lebes aliquis, in quo igni imposito coquere aut aquam calefacere solemus. Ejusmodi lebetum usus erat in sacrificiis, qui ex inde dicti sunt ἐμπυρβήται. Qua de causa etiam Delphicum illud vas vocatur τείπυς ἐμπυρ. Julio Polluci l. X. *Onomastici*. Varias hac de re sententias deprehendes apud Natalem Comitem *Mythologiae* lib. IV. cap. X. pag. 354. Nos assentimur iis, qui tripoda hujusmodi vas fuisse asserunt. Consule Gifanium *Indice Lucret.* pag. 399. Weitzium ad *Prudentii Apotheo.* sin pag. 640. ad hæc verba: *Non tripodas Cortina regit, ubi & hæc reperias: Tripus erat ingens vas Delphis aureum, τείπυς Græcis dictum.* Tripodem vero fuisse aureum, invenio apud Interpretem Aristophanis in *Pluto*, cujus verba hæc sunt: χρυσῆς δ' ἔστιν ὁ τρίπυς, ὅτι τιμία ἢ ὕλη, καὶ οἱ αἰδόμενοι χρυσοὶ τίμιοι. *Tripus ex auro erat, nam materia hæc pretiosa & pretiosa quoque oracula, quæ canebantur.* Et Euripides in *Iphigenia Taurica* tradit Apollinem τρίποδι ἐν χρυσίῳ θάσσειν.

§. XVII. De hoc tripode referunt, eum a piscatoribus esse in mari inventum, Apollinique consecratum: quod pluribus enarrat Natalis Comes *Mytholog.* l. IV. cap. X. pag. 353. Milesii nimirum hospites a Cois piscatoribus jactum eementes, quidquid ex eo fors obtulerit sibi paciscebantur: cum vero reti tripus adhæreret, sibi eundem vindicarunt Milesii. At vero lites exinde oriebantur Milesios inter & Coos, qui judicem elegerunt oraculum Delphicum, quod Sapientissimo omnium tripoda mittendum edixit. Hinc miserunt Thaleti, hic alii, ac is iterum alteri, quod eorum nullus summæ sapientiæ laudem sibi deberi existimaret; usque dum ad Thaletem reverteretur. Tandem consecratus est Apollini, quippe qui Sapientissimus merito suo esset salutandus.

§. XVIII.

§. XVIII. Hic tripodus insternebatur lamina quadam aenea, ut notat Plinius l. XXXIV. cap. III. *Ex aere facta vere & cortinas tripodum, nomine Delphicas.* Huic ad instar mensae, sive alius cujusdam operculi tripodis impositi insidebat vates Pythia oracula prolatura. Quare Janus Boissardus de *divinatione* pag. 120. ait: *Pythiam respondisse e cortina.* Clasenius l. II. cap. II. pag. 267.

§. XIX. Huic laminae Pythiam responsa daturam incubasse, in controversiam non venit: attamen non aequè convenit inter doctos, quid *Cortina* fuerit. Taubmannus ad *Virgilii Aeneid.* pag. 713. sentit, *Cortinam* proprie dici lebetem sive tripodam, in quo lana suffecta succos ebibat. Sed Taubmanno hic vix assenserim, tripodam hujusmodi proprie dici *cortinam*: quamvis non negem & tripodam, sed per metonymiam quandam ita appellari ut mox dicemus. Quare potius facimus cum Gifanio in *Indice Lucretii* pag. 399. cui perquam arridet Prudentii phrasis, qui *cortinam tripodas tegere* dicit. *Recte hic, inquit, Tegit. Nam operculum & integumentum aeneum tripodis erat cortina.*

§. XX. Nimirum est haec ea ipsa *Cortina*, quae apud Pollucem l. X. *Onomast.* dicitur ὄλμϙ. Verba Pollucis sunt haec *Τὸ δ' ἐπίθημα τῆς τρίποδος ὄλμϙ κύκλον καὶ ὄλμον δεῖ καλεῖν ἐπεὶ καὶ τῆς Δελφικῆς τρίποδος ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ὁ προφήτης, ὄλμϙ καλεῖται ὡς τὰ μέσα τῆς ἐμπύρου τρίποδος, γαστέρα καθ' Ὀμηρον.* Videatur Weitzius ad Prudentium pag. 640. Clasenius pag. 267. Insignis est apud Ammianum Marcellinum locus, l. XXIX ubi Hilarius: *Construximus, inquit, magnifici Judices, ad cortinae similitudinem Delphicae diris auspiciis de laureis virgulis infaustram hanc mensulam.* Si igitur mensula constructa ad cortinae imitationem & cortinam ipsam, velut ἀρχέτυπον, fuisse mensae similem, necesse est. Quod etiam colligas ex proverbio: *λαλεῖν ἐκ τραπέζης, loqui e mensa, id est, ex tripode sive vaticinari*: ut explicat Clasenius l. II. cap. II. pag. 267.

Janus vero Boissardus l. c. id per *respondere e cortina* exponit. Vide plura apud toties laudatum Clasenium, Mœbium pag. 34. seq. Gifanium *Ind. Lucretii* sub voce *præstringere*.

§. XXI. Videamus nunc argumenta, quæ pro sua sententia Taubmannus adducit. *Severum* dicit in *Æna*, theatri capacitatem convexam & sinuosam appellare *cortinam*, quando canat: *magni cortina theatri*. Sed facilis est responsio. Quis enim non videt *cortinam* hic dici pro quovis integumento, aut aulæo, & Poetam intelligere per id vocabuli tapetum, quod scenam distingvit a proscenio, quodque per synecdochen significat ipsam scenam, ex qua actores procedunt. Sed & Ennium dicit hemisphærium cœli *cortinam* vocare, quia instar ejusmodi vasis, quod *cortinam* asserit Taubmannus, convexum sit. At respondet pro nobis Gifanius l. c. *Ego cortinam cœli dictam puto, ut amictum cœli*. Et ita simile quoque est cœlum *cortinae*, ut quemadmodum hæc tripodæ, ita illud hoc universum tegat.

§. XXII. De *cortina* etiam sequentia veniunt notanda: Primo, quod sumatur modo pro ipso tripode: ut in illo Claudiani, ubi *cortina mugire* dicitur, id est, *tripus*: modo ipsum notet *adytum*, ut sentit Paulus *Pompejana Epitome* & Servius l. III. *Æneid*. Vid. Weitzius l. c. Deinde, quod prope *cortinam* positæ fuerint duæ aquilæ, in memoriam fabulæ illius, qua Jupiter duas aquilas emisisse dicitur, exploratum, sitne Delphis medium orbis: quam & cap. I. §. VII. tetigimus.

§. XXIII. Vocabulum *Cortinae* Varro & Servius à corde derivant. Sed Gifanio hæc notatio coacta videtur *Indice Lucretii* pag. 399. Illos tamen excusat Perottus, dum pro corde legit *corte*, contra omnes libros (quæ sunt Gifanii verba) male, ne dicam inapte. Scaliger ad *Varronem* dictam vult a rotunditate, quod esset rotunda ceu *cortes*. Nonnulli originem vocis repetunt a *corio* Pythonis, quo tecta fuerit *cortina*. Alii *cortinam* dictam volunt quasi *certinam*, quod *certa* ex illa responsa expectentur.

§. XXIV.

§. XXIV. Sacerdos Apollinis foemina erat, dicebaturque *Pythia*, ab Apolline *Pythio*, ut & *Phaëbas* a *Phæbo*. Munere sacerdotis primum functas esse juvenculas, ajunt, post vitiatam vero a Thesfalo quodam Echecrate adolescentulam *Pythiam*, cautum est, ne id muneris, nisi quinquagenariae demandaretur: hanc vero in memoriam pristini vaticinandi moris habitu cultuq; virginis incesfisse. Vid. Clafenius pag. 273. & quos allegat, Diodorus Siculus l. XVI. p. 428. Caelius Rhodiginus l. VIII. c. XVI. p. 430. Idem Clafenius pag. 258. 275. & 276. aliquot *Pythias* sacerdotes, earumque nomina recenset.

§. XXV. Inter alias vero celebris quondam fuit, quæ *Phemonoe* vocatur. Hanc enim heroicum carmen primam invenisse scribunt. Photius in Biblioth. pag. 983. Καὶ μέλ^ῳ πρῶτον μὲν ἐφέυρε φημονόη ἢ Ἀπόλων^ῳ περὶ φήλης ἑξαμέτροις χρησμοῖς χρησαμένη, καὶ ἐπειδὴ τοῖς χρησμοῖς τὰ πράγματα εἶπε καὶ σύμφωνα ἢ ἐπὶ^ῳ τῶν μέτρων κληθῆναι. Hoc tamen tribuit Clemens Alexandrinus *Phanotheæ* cuidam l. I. Strom. ἐκ φασὶ τὸ ἡρώων τὸ ἑξάμετρον φανοθέαν τὴν γυναῖκα Ἰκαεῖς εὐρεῖν. *Præterea* ajunt, *Phanotheam* *Icarii* uxorem, invenisse heroicum hexametrum. Conferatur Vossius *Institutionum Poëticar.* lib. III. cap. III.

§. XXVI. Cultus Apollini præstabatur sacrificando. Faciebant autem ipsi capris, utpote quæ primæ oraculum invenerint. Clafenius p. 250. Interrogaturi illum de futuris oves mactabant. Vid. Clafenium l. I. cap. IX. Sic apud Virgilium *Æneas* scitans oraculum Delphicum dicitur

—— Septem mactasse juvencos

—— καὶ τοὺς αὐτὰς δὲ μόρῳ βίδες.

Hinc *Pytho* a Pindaro appellata est *μηλοδοκία*, id est, ovium receptivæ, quam vocem Schmidius in *Comment. ad Pindari* Od. III. *Pyth.* pag. 117. resolvit, quod dicatur quasi πολλὰ δεχομένη θύματα μῆλων, multa ovium sacrificia recipiens.

§. XXVII. In honorem etiam Apollinis festa & ludi instituti tam apud Græcos, quam Romanos. De his vide Rosini *Antiquitat. Roman.* lib. V. cap. XVII. Celebrati vero a Romanis in gratiam victorum, qui in illis coronabantur laureis fertis. Erat enim laurus Apollini sacra. In his ludis Romæ sacrificabant Decem-Viri (olim tantum Duum-Viri) qui ex plebeis ac Patritiis eligebantur, ut præter alia quædam munia, *Apollinis sacrarumque ceremoniarum Antistites essent*: ut ait L. Fenestella *de Sacerdot. Rom.* c. XIII. De Festis his ludisque plura vide apud Natalem Comitem l. IV. *Mytholog.* c. X. pag. 361. seq. 433. & seq. Barthium ad *Papin. Stat.* tom. II. pag. 240. & tom. III. pag. 345. seq. Hospinianum de *Origine Fæstorum* l. II. c. XI. Certantes in his ludis antequam laurus inveniretur, coronati sunt palma vel esculo. Vid. Natalem Comitem d. l.

§. XXIIIX. Instituebantur autem festa hæc in memoriam victoriæ Apollinæ, quam vel a Pythone serpente, vel Typhone Pythio retulit. Huc spectant illa Ovidii *Metam.*

lib. I. *Neve operis famæ posset delere vetustas
Instituit sacros, celebri certamine, ludos
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos.
Hic juvenum, quicumque manu, pedibusve, rotave
Vicerat, esculeæ capiebat frondis honorem,
Nondum laurus erat.*

CAP. III.

Qui oraculum consulebant vocabantur θεωγοὶ & Pythii. Magnis habebantur in honoribus. 2. Deliberare. Consulere. 3. Consultare. 4. Scitari. Referre ad oraculum. 5. πρῶτον ἀπὸ θεῶν, πρῶτον ἀπὸ θεῶν 6. Sacerdotes, sive qui oracula reddebant dicti ἐν θεοῖς, θεοφορῶμενοι, θεόπνευστοι, ἠνθισιασμένοι. 7. Responsa dare. Responsa quid? Responsa proprie Deorum oracula. Translate Magnatum & piorum sententiæ. 8. Nota. 9. Dictio. 10. χερσμοὶ, χερσμοῦδέειν, φοιβάζειν, φιλιππίζειν. 11. Ritus & Consulentiis adhibiti. 12. Sacrificia. Probantur

bantur victime an sint idoneae. 13. Ritus Pythie ad danda responsa se ac-
cingentis. 14. Pythia tripodem conscendit. Spiritu per Adytum hau-
sto inflatur Phœbas. 15. Eum excutere laborat. 16. Monet adstantes ut
sint attentis. 17. Responsa data aperto Adyto. 18. ἐγγασείμωθ. Cur
ita dicta? 19. Spiritus ventriloqui dicti πύθωνες. Hebr. מִיָּדִין. Mu-
lier in Endor ἐγγασείμωθ. 20. Qua in lingua responsa data? E-
rant carmina. 21. Responsa scribebantur in foliis palmae. 22. Consul-
tantes attente debebant observare oracula. 23. Responsa scribebant.
24. Quærentes coronati 25. Domum redeuntes singulari honore excepti.
26. Oracula Apollinis non falsa estimabantur, sed flexiloqua. 27. am-
bigua, obscura. 28. Interdum perspicua. 29.

§. I.

Licet ubivis locorum perquam clara & illustris haberetur
Pythiorum responsorum veritas: reapse tamen nihil in iis
erat, quam dubia perplexaque ambiguitas: ut non immerito
miremur, tantam hominum cœcitatem, qui nihilominus ad
ea confugere non dubitarunt.

§. II. Ceterum antequam de ipsis Oraculi responsis dica-
mus, non abs re fuerit, primo in rem præsentē afferre persona-
rum nomina, quibus negotia hujus oraculi demandata, dein-
de antiquos consulendi pariter & respondendi ritus tan-
gere. Qui consultum mittebantur, aut sponte proficisce-
bantur sua, θεωποὶ vocati: quod nominis quibusque alia oracu-
la poscentibus inditum. Theognis sentent. 803. ejusmodi ho-
minem vocat ἀνδρα θεωπόδν, hoc est (ut nonnulli volunt) virum
DEI Curatorem. Hanc enim vocem derivant ἀπὸ τῆς Θεός &
ἐπι-cura. Ii vero, qui speciatim Delphicum inviserent Ora-
culum Pythiæ dicebantur, sine dubio ab Apolline Pythio. Hi
quantis habitis fuerint in honoribus, patet ex illo Herodoti l.
VI. cap. LVII. Pythii sunt qui Delphos ad consulenda oracula mit-
tuntur, quique publice cum Regibus pascuntur. Videatur etiam
Alexander ab Alexandro, lib. VI. cap. II. pag. 604.

§. III. Loquendi formulæ de quærentibus usitatæ erant,
ut dicerentur deliberare & consulere. Sic Cornelius Nepos
Mili-

Militiade: *Ex his delecti Delphos deliberatum misi sunt, qui con-*
sulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. Et paulo post:
His consulentibus Pythia respondit &c. Ad locum priorem notat
Janus Gebhardus in *Spicilegio* pag. 34 n.3. *Deliberare est cum*
Deo deliberationem habere atque instituere, referre quod captandum
est, ad consilium oraculi. Ubi in hanc rem etiam adducit Cicero-
nis aliquod testimonium cum alio Nepotis.

§. IV. Tacitus usurpat vocabulum *Consultare* II. *Annal.*
c. LIV. *Sacerdos, inquit, numerum modo Consultantium &*
nomina audit.

§. V. Ulterius quoque *scitari* dicebantur. Virgilius *Æn.*
II. v. 114.

Suspensi Eurypylum scitatum oracula phœbi

Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat.

Etiam formula: *Referre ad oraculum*, hic locum habebat. Cor-
nelius Nepos in *Lysandro*: *Lacedæmonii omnia ad oraculum*
referre consueverunt, Cicero l. I. de Divinatione: Sed de rebus ob-
scuris & incertis ad Apollinem censeo Reverendum. Ad Geb-
hardum in *Spicilegio ad Corn. Nepotem* pag. 126.

§. VI. Græci adhibent verba *προαναλήθειαι & προ-*
ναφείειν, ut observat laudatus Gebhardus in elegantissimo *Sp-*
cilegio. Ubi hæc etiam adducit ex Diodori Siculi l. XVII. *Τῶν*
μάντεσσι προαναφείμεν & εἰ τῶ σμείει.

§. VII. Qui oracula dabant, nuncupabantur *ἐνθεοί, θεο-*
φρεσμένοι, id est, qui non sponte, sed a DEO ferrentur: *θεόπνευ-*
στοί, a DEO inflati. Nam Pythia spiritum hauriebat ex antro fa-
tidicum: unde dicebatur Virgilio l. VI. *Æn.* v. 50. *afflata nu-*
mine. Vide Taubm. ad *Virgilium* pag. 685. Dicebantur quoque
Fanatici & ἑνθροισασμένοι, ab ἐνθροισάζομαι, a DEO agitor.

§. IIX. Solennis item formula erat, ut *responsa dare* di-
cerentur. Nam *responsa* proprie sunt *Deorum oracula* teste
Barthio ad *Papin.* tom. II. v. 358. *Virg.* l. III. *Georg.* *Nec respon-*
sa potest consultus reddere vates. Idem *Æn.* l. VI.

Cassia

— — — Caspiaregna

Responsis horrent divum. — — —

Quamvis deinde transferatur ad sententias graves Magnatum, aut aliorum, ut in illo Virgilii, Ecloga I. ubi de Augusto

Et mihi responsum primus dedit ille petenti.

Ad quæ hæc notat Taubmannus: *Responsum dedit, tanquam ex adyto & oraculo.* Sic Lucretius I. I.

— — — *Ex adyto cordis responsa dedere*

Sanctius & multo certa ratione magis, quam

Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

§. IX. Appellantur hæc responsa etiam *Notæ*. Virgilius I. III. Æn. v. 444.

— — — *Foliis que notas & nomina mandat.*

Sic — — — *Notæ veri monitusque Deorum*

apud Ovidium. Itemque *Sortes*. Virg. I. VI. Æn. v. 72.

Hic ego namque tuas sortes, arcanaque fata

Dicta meæ genti ponam.

Valerius Maximus lib. I. *Legati ad Delphicum oraculum missi, retulerunt præcipi sortibus.*

§. X. Sed hæc fere de quibusque oraculis dici poterant.

Sola autem Delphica responsa audiebant *Dictum & Dictio.*

Imperium tuum demutat atque dictum Apollinis.

Plautus *Menæchm.* V. II. v. 118. Livius Andronicus *Antiopa:*

Ita septuofe dictio à Deo datur

Quod consecuturum sapiens ægre consulit.

Pacuvius: *Flexa non falsa autumare dictio Delphis solet.*

Accius apud Herennium lib. II. *Aperte fatur dictio, si intelligas.*

§. XI. Græce dicuntur oracula *χρησμοὶ*, & inde ii, qui oracula reddunt, *χρησμοῦ δέειν*, Pythia vero *φοιβάζειν* proprie. Vi-

de Gerardum Langbainium *Notis ad Longinum* τῆς ὑψὸς pag. 45. seq. Demosthenes aliquo in loco dixit eam *φιλίππιζειν*,

quasi diceret *cum Philippo facere*; quo verbo indicavit, illam a Philippo corruptam fuisse. Confer Gebhardi *Spicilegium in Ne-*

potem pag. 36.

D

§. XII.

§. XII. Nunc ad ipsas consultationes progrediemur. Ritus in his quosdam adhibere necessum habebant tam *Consultantes*, quam *Pythia* ipsa. Ritus consultantium tribus his capitibus absolvit Clasenius. Primo sacrificabant. Deinde brevi oratione quæstionem exponebant. Scholiastes tamen in Aristoph. Plutum tradit ipsos scripsisse ἐν πυκτίῳ ἔχοντα κατὰ ἀεγδαίρεσιν αὐτοῖς κείμενον, in pugillari, quod ipsis in intentione erat positum, sive quod intendebant. Denique laurea corona redimiti accedebant.

§. XIII. Primum sacrificasse dicuntur *Quærentes*. De sacrificiis quædam superiori capite allata, quæ non repetimus. Liceat hoc addere, quod mactanda hostia, num idonea foret, nec ne, probaretur: id quod fiebat affundendo aquam frigidam. Hanc si immota admitteret, inhabilis; si tremere, eximia censebatur. De his probandi victimam ritibus legendi Clasenius pag. 250. seq. & Saubertus de *Sacrificiis* cap. XVIII. Ludovicus de la Cerda ad l. VI. *Virgilii Aeneid.* pag. 633. negat oracula a sacerdotibus edita fuisse, nisi victima prius adspersa tota contremuerit, fueritque mota ἐξ ἀκρων σφυρῶν, ab imis talis. Quod idem quoque tradit Plutarchus de defectu Oraculorum pag. 455. cuius verba laudat Clasenius pag. 271.

§. XIV. Propositis quæstionibus *Pythia* bibebat e fonte sacro, qui ibidem erat. Deinde laurum comedebat, postea laurea corona se cingebat: uti ex Luciano, Aristophane, ejusque Scholiaste annotat Jacobus Ouzelius *Observationibus ad Minucium Felicem* pag. 151. Et *Pythiam* quoque consultantium nomina annotasse, & mandasse quidem foliis, exsculpas ex *Virgilii* loco §. IX. laudato, ubi de *Pythia*:

— Foliisque notas & nomina mandat.

§. XV. His rite peractis tripodem conscendebat *Pythia*. Sedebat autem super dicto tripode expansa, spiritumque malignum per antrum, quod *Adytum* vocatur, emisum hauriebat per obscœna. Deinceps furore repleta, capillis passis, spumisque;

misque ex ore emissis debacchabatur, furibundaque re-
sponsa dabat. Vide Neandrum *Notis ad Theogn.* pag. 160.
ubi hæc ex Jamblichō, Origine & Chrysoſtomo diſci aſſerit.
Confer item Jani Gebhardi *Spicilegium in Nepotem* pag.
35. Cicero de Divinatione: *Nam terræ vis Pythiam Delphis in-*
citabat. Justinus lib. XXIV. cap. VI. §. IX. tradit de Adyto,
quod profundum terræ foramen ſit, ex quo frigidus ſpiritus,
vi quadam velut vento in ſublime expulſus, mentes vatum in-
recordiam vertat; impletasque Deo, reſponſa conſulentibus dare co-
gat. Ceterum furentem eam inducit Virgilius l. VI. *Æn.* v. 46.

— — — Cui (Pythiæ) talia fanti
*Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument.* — — —

Et l. III. v. 43. vocaverat eam *Inſanam vatem.*

§. XVI. Quando vero, ceu dictum eſt, receperat ſpiri-
tum fatidicum, conabatur illum ruruſus excutere: qui il-
lam angebat, torquebat, & ad danda reſponſa cogebat. Sic
Virg. l. VI. *Æn.* v. 77. de Pythia:

*At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuisse Deum; tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, ſingitque premendo.*

Quia vero evitare illud non poterat, permittebat tandem
ſpiritum per ſe loqui, commodabatque illi membra ſua ad
expedienda ea, quæ volebat, dandaque præſentibus reſponſa.

§. XVII. Sentiens autem Pythia ſpiritum adelle, &
jam per ſe reſponſa daturum, monebat conſultantes, ut ſint at-
tenti. Quod præter Lucianum in Dialogo *Bis accuſatus*, teſta-
tur Virgilius l. VI. *Æn.* v. 45.

*Ventum erat ad limen, cum virgo poſcere fata
Tempus, ait, DEUS, ecce! DEUS:*

Similiter conſultantes monentem inducit Ovidius XV. *Me-*
tam. D 2 En!

En! DEVS est, DEVS est! linguis animisque favete
Quisquis adest! dixit.

§. XVIII. Aperto deinde adyto responsa dabantur. Paulus Epitome Pompejana: *Aperta dicebatur Apollo, quia patente cortina responsa ab eo darentur: ubi Paulus cortinam pro ipso adyto seu caverna accepit.*

§. XIX. Hic autem observandum, quomodo Pythia responsa dederit. Nonnulli putant, per ventrem locutam, & idcirco dictam ἐγγαστήριον. Alii eam sic vocatam volunt, quod diabolus in ejus ventre hæreret, ipsique vaticinia de futuris suppeditaret: qua in sententia est Clasenius lib. I. cap. III. pag. 9. & 10. Huc facit Basilius in cap. VIII. Esaiæ pag. 42. *Consulte non quidem Dominum, sed ἐγγαστήριον, id est, qui in Pythone futura prædicunt, per ventrem obsessi, ipso spiritu loquente.* Videatur Leo Allatius *Syntagmate de ἐγγαστήριον c. I. pag. 333. in tomum VIII. Criticorum sacrorum relato.*

§. XX. Spiritus vero, qui per illam loquebatur πύθωνος dictus est, ut habet Scholiastes in *Aristophanis Plutum*, Gebhardo quoq; *Spicilegio in Corn. Nepotem laudatus.* Imo & alii spiritus fatidici dicebantur πύθωνες apud Hom. *Odysf. X. Act. XVI. 16.* Videatur Joh. Conradus Dietericus apud Dilherrum *tom. I. Disp. VIII. pag. 221.* Hebræis dici תִּבְיָן autumat Seldenus de *Diis Syris Syntagm. I. cap. II. pag. 121.* Vbi Pythonissam Sauli vaticinantem putat fuisse ἐγγαστήριον. Ἐγγαστήριον spiritus alioqui etiam dicebatur ἐντερόμαντις, aliis ἐγγαστήριον, Sophocli τερρόμαντις, id est, e præcordio oracula pro-
dens.

§. XXI. Per hanc igitur Pythiam diabolus responsa dabat, interdum viva voce, interdum etiam scripto: idque non græca tantum lingua, sed quacunque quæreretur: uti sentit Clasenius l. I. c. X. pag. 64. Plerumque autem responsa erant concepta versibus. Sic enim habet epistola Claudiani ad Æternalem:

Quic-

*Quicquid Castalio de gurgite Phœbus anhelat,
Quicquid fatidico mugit cortina recessu,
Carmina sunt.*

Et scribit Eunapius in vita Ædesii, ὁ μὲν Θεὸς ἐφίσατο τοῦς τὴν εὐχὴν, καὶ ἔχρησεν ἐν ἑξαμέτρῳ ἑνὶ τῷ δέ. Numeros tamen istorum versuum non semper adeo justos fuisse, observat Clasenius l. I. c. X. p. 64. Sed Strabo etiam l. IX. Geograph. p. 419. putat, Pythiam quoque soluta oratione respondisse, sed præsto fuisse Poetas, qui oracula in versus redigerent.

§. XXII. Quando Pythia scripto consignabat oracula, inscribent ea olivæ vel palmæ foliis, heroicoque carmine. Deinde folia, quibus responsa isthæc mandata erant, ordinata serie in antri ingressu reponebantur. Quando vero vel levissima aura inflabat adytum, dispersis foliis confusisque, & numeri & sensus oraculorum perdebantur. Videatur Taubmannus *ad Virgilium* pag. 530. Apud hunc Poetam l. VI. Æneid. v. 74. Æneas oracula poscens, deprecatur, ne more suo, Pythia scribat, sed voce viva recitet responsa:

Tantum foliis ne carmina manda:

quod ipsum præmonuerat Helenus vates lib. III. Æn. v. 451. jussitque, ut

*— adeat vatem precibusque oracula poscat,
Ipsa canat, vocemque volens atque ora resolvat.*

§. XXIII. Responsa data, orationemque Pythiæ, auribus (ut cum Plauto loquar) non gustare, sed devorare debebant quærentes. Probe enim percipere eam & observare necessum habebant, ne quid falsi aut immutati referrent: quia ex eorum responsis, tanquam ipsius Dei vocibus, pendebant qui eos miserant. Videantur Theognidis sententiæ 803. 808. & ibidem Neander *in Notis* pag. 160.

§. XXIV. Quare, ut fideliter meminissent responsorum, & exacte iis, quorum intererat, exponerent, scriptis itidem consignabant. Scholiastes Sophoclis in Trachiniis

ait: ἔθ' ὅτι γὰρ τὰς χρησίων δεχομένους τὸ δαχτυλίον γραφεῖν, ἵνα μὴ λαθῶνται: id est: *Moris est, ut illi, qui consuluerunt oraculum, statim acceptum responsum scribant, ne istius oblivione capiantur.* Quam consuetudinem illustrat Johannes Hartungus Decur. I. *Locorum memorabilium* c. II. p. 257. tom. II. *Lampadis Criticæ* Gruteri. Sed hoc in ritu pietatem quandam quærit Hieronymus Magius, nitens testimonio Scholiastæ Pindari scribentis, ὅσιον χρησίων ἔγραψαν εἰς τὸ σημεῖον τῆς εὐσεβείας: quam sententiam suo relinquimus auctori.

§. XXV. Post annotationem responsorum lauro coronati abibant. Huc referri solent sequentia Scholiastæ Euripidis: ἔθ' ὅτι γὰρ ἦν, τὰς ἐξ ἱερῶν τελλομένους τεφεοῦσαι: *Mos erat ex templo missos coronari.* Athenæus l. XV. c. IV. pag. 673. *Laureæ coronæ dabantur illis, qui parebant oraculi sortibus.* De hoc more plura affert Clasenius l. I. cap. XXIII. pag. 181.

§. XXVI. Tandem etiam consultum missi domum reduces a domesticis genibus flexis excipiebantur, in honorem divinorum, quæ gerebant, oraculorum. Morem hunc iterum tradit Scholiastes Eurip. ἔθ' ὅτι τὸ εἶχον οἱ δεχάιοι τὰς, ὅτε ἤρχοντο ἀπὸ μαντείας, ἐτεφανωμένοι ἤρχοντο, καὶ πάντες τῆς οἴκου προσκυνοῦν αὐτούς. *Veteres hunc morem tenebant, ut, quando veniebant ab oraculo, coronati venirent, & omnes de domo istius adorarent, si ve flexis genibus venerati sunt illos.* Clasenius d. I. pag. 185. & l. II. cap. II. pag. 272.

§. XXVII. Reportaverant itaque responsa, in quibus cæci gentiles se reperisse putabant, non quod pueri in faba, verum Deorum gravissima sanctissimaque monita & oracula. Sed si dicamus quod res est, mera diaboli ludibria, nugæque lubricas, quibus miseris illis homunculis illudebat impurus ille spiritus, acceperant, ferebantque. Vt plurimum enim incertiores multo adytis discedebant, quam accesserant: tam ambigæ, tam obscuræ, tam perplexæ erant responsiones illæ, ut, ceu loquitur Cicero, *sorte ipsa ad sortes mittenda*
fuis-

fuiſſet. Neque ignotum plane erat ſapientioribus, qui ſi non
falſa, flexiloqua tamen æſtimabant.

§. XXIIIX. Sic enim Æneas apud Virgilium Æn. lib.
VI. v. 343. ſeq. Palinurum ſuum, quem ſalvum fore Apollo
prædixerat, ſed poſtea aquis merſum conſpiciens apud Sty-
giam paludem, his verbis alloquitur:

— Quis te, Palinure, Deorum,
Eripuit nobis, medioque ſub æquore merſit?
Dic age! Namque mihi fallax haut ante repertus,
Hoc uno reſponſo animum deluſit Apollo.

Idem Virgilius Æn. VI. v. 10. Pythiam dixit *obſcuris vera in-
volvete*. Pari modo Pacuvius Peribœa:

Flexa, non falſa autumare dictio Delphis ſolet.

Idem Duloreſte:

*Nihil conjectura qui vi interpretarier,
Quorſum flexi vice contenderet.*

§. XXIX. Hinc factum, ut Apollinem dixerint *λοξίαν*,
id eſt, perplexum. Pausan. lib. III. pag. 159. Spartani ambigui
& perplexi oraculi auctoritatem ſequuti, in ſpem venerunt capturos ſe
Tegeas, Tegeatumque campos Arcadibus adempturos. Seneca in
Oedip. II. v. 712.

Reſponſa dubia ſorte perplexa latent.

Et v. 214. ait: *Ambage flexa Delphico mos eſt Deo arcana tegere.*
Sic Cicero de divinat. cap. LVI. Apollinis reſponſa vocat *par-
tim falſa, partim caſu vera: partim flexiloqua & obſcura, ut inter-
pres egeat interprete, & ſors ipſa ad ſortes referenda ſit: partim am-
bigua, quæ ad Dialecticum referenda ſint.* Quare fidem ipſius
Lucretius Placidius ad Papinium Statium merito ſuo *laten-
tem* appellat. Vide, ſi libet, plura hanc in rem testimonia
apud Taubmannum ad Virgilium pag. 690. Barthium ad Pa-
pinium Statium tomo II. pag. 1179. & tom. III pag. 2053.

§. XXX. Interdum tamen etiam perſpicue reſpondit.
v.g. apud Cornelium Nepotem Milt. *Nominatim*, id eſt, per-
ſpicue

Spicue consulentibus præcepit, ut sibi Miltiadem ducem sumerent. Alia quædam exempla adducit Mœbius de *Oraculis Gentilium* p. 38.

CAPVT IV.

Delphici templi opulentia multis periculis obnoxia. 1. Ter incensum a Thracibus. 2. Exercitus Xerxis id direpturi clades. 3. Spoliatum hoc templum a Phocensibus. Quod tentavit etiam Brennus. 4. Nero templum vastans ad antrum homines mactavit. 5. Typho disturbans Oraculum. 6. Excidium templi Delphici an sub Juliano Apostata. 7. Baronijs notatus a Casaubono. 8. Versus ex Suida & Nicephoro suspecti. 9. Theodoreti testimonium de Juliano Oraculum consulente. 10. Oraculum conticuit aliquoties, & idcirco contemptim habitum. 11.

§. I.

Delphicum Apollinis Oraculum multas interdum & indigentes expertum est clades. Enimvero quoniam splendidum ac magnificum erat templum, nec minus pretiosissimi repositi in eodem thesauri, multis potentia validis salivam movit ejus opulentia, ut eidem omnibus modis inhiarent. Hinc sæpies direptum, aliquoties resurrexit, donec sub Juliano Apostata, uti volunt, everteretur.

§. II. A Thracibus illud ter exustum fuisse, narrat Eusebius lib. II. de *Preparatione Evangelica*, his verbis: *Delphicum sane Oraculum jam tertium a Thracibus incensum fuisse, constans fama est.*

§. III. Ita cum Persarum Rex Xerxes in Græciam exercitum duceret, mittebat quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: quæ tamen tota manus imbribus & fulminibus deleta. Justinus lib. II. cap. XII. §. 8. 9. Id quod pluribus describunt Herodotus, Plutarchus, Diodorus Siculus, Cornelius Nepos, Orosius.

§. IV. Nec non ipsi Phocenses, cum a Thebanis admodum affligerentur, ac agris, liberis, conjugibusque privarentur, desperatis rebus, Philomelo Duce, occupavere templum Apollinis. Inde

auro

auro & pecunia divites, conducto mercenario milite bellum Thracibus intulerunt. Justinus lib. VIII. cap. I. Idem lib. XXIV. cap. VI. & seqq. refert, quomodo Brennus Gallorum Dux infesto agmine, sed infelici exitu templum Delphicum diripere tentaverit.

§. V. Nero quoque Imperatorum perditissimus idem templum vastasse dicitur, asportasseque ex eo quingentas imagines æneas, ad hiatum, unde sacer sese promebat spiritus, jugulatis hominibus, cadaveribusque eorum in specum abjectis. Auctor id refert Dio Historicus, ex quo tangit Cœlius Rhodiginus *Antiquarum Lectionum* lib. VIII. cap. XVI. pag. 431.

§. VI. Plutarcho si credimus, disturbavit quoque Pythium hoc Oraculum Typho quidam. Sic enim ille in *de facie in orbe Lunæ* tom. II. Operum pag. 945. *Is Typho, qui Delphis occupatis Oraculum vi & libidine sua conturbavit.*

§. VII. Ultimum vero ejus excidium, & extrema destructio imperante Juliano accidisse dicitur: quo scilicet ævo templum Delphicum cœlitus tactum conflagrasse volunt. Nonnulli tamen hoc ægre, vel plane non admittunt, statuentes, Cacodæmonem sub Servatoris nostri in carnem adventum per hoc Oraculum respondere desiisse.

§. VIII. Ita Baronius affirmat Ciceronis jam ævo Delphicum conticuisse Oraculum, adductis potissimum his verbis libri II. de Divinatione: *Cur isto modo jam oracula Delphis non eduntur, non modo nostra ætate, sed jam diu, jam ut nihil possit esse contemtius?* Sed Casaubonus *Exercitatione I. in Baronii Annales* num. XII. ostendit, adhuc Ciceronis & sequentibus temporibus claruisse Oraculum: nec id velle Ciceronem, ac si omnino desierint responsa; sed *isto modo*, hoc est ἐμμέτερος, numeris, versibus proferrî cessavisse.

§. IX. Circumferuntur etiam quidam Apollinis versiculi, quorum fide nonnulli contendunt, interitum hujus

E

Ora-

Oraculi CHRISTI temporibus contigisse. Versus hi
sunt:

*Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum.
Aris ergo dehinc tacitus discedito nostris.*

Sed sublestæ illos esse fidei, emunctæ naris Scriptores jam dudum subodorarunt: qua de re sollicitus est Mœbius, *de Oraculis* cap. II. Leguntur autem memorati versus apud Suidam & Nicephorum, quorum iste scriptor non admodum antiquus, cui in vetustis fidem temere non habeas; hic vero, præterquam quod Suida recentior, in multis plane fabulosus est, pluresque nugæ suæ intexit narrationi: id quod demonstrat Casaubonus l. l.

§. X. Majorem ergo fidem habemus Theodoretis, qui Julianum suo tempore Oraculum consuluisse Delphicum memorat lib. III. cap. XVIII. Cum enim Persæ fines invaderent Romanos, exercitum collegisse dicitur. *Sed antequam arma sumeret, inquit Theodoretus, misit nuntios ad Delphos, ad Delum, ac Dodonem, ad alia demum Oraculorum loca, scitatum vates, utrum bellum ei gerendum sit. Illi autem bellum suscipere jubent, pollicenturque victoriam.*

§. XI. Id tamen non diffitemur, dictis temporibus Apollinem non amplius eodem modo responsa semper dedisse, quam præcedentibus. Nam præterea, quod fere non respondebat carmine, sæpius etiam sine acceptis responsis dimittebat consulentes, interdum aperte fatebatur, se futura non posse prædicere. Hanc etiam ob causam tam contemptim habitum fuisse credimus, ut id Cicero sua jam ætate observavit.



Del-

Delphica dum terfo calamo respon-
sa revolvis,
De Te Pierides responsa dedere pe-
tenti:

Quæ pietas, probitas, industria rara
merentur,

Eximio Juveni non defore præmia
credas.

Meo a ludo Salsfeldensi per dilecto

HEBENSTREITIO

Optimi Patris filio æmulo,
boni ominis ergo
interpretabar

PRÆSES.

Delphica perlustrans oracula, quæ
probe condis,
Hoc fero responsi. **VIR ANIMOSVS**
ERIT!

*Hæc Clare docto Dn. Respondenti Auditori &
Amico meo honoratissimo scri-
bere volui*

M. JO. ADOLF. FROHNIUS
Mülh.

E. 2.

Recht

Recht/so stelgt man Wolcken-an! FREUND fahr fort in solchen
Streiten/

Pallas wird nach Schweiß und Fleiß Dir des Sieges Kron bereiten.
Fahre fort/ es wird Dein Ruhm zeitlich bey den Sternen stehn/
Und nicht wie der Aare-Bruch (a) am Geburts-Tag' untergehn.

Dieses wolte auß obliegenden Schuldigkeit
hinzusehen

CHRISTOPH. SAM. Aufdiener/
Philos. & S.S. Theol. Stud.

(a) de la Manne heissen sie die Lionischen Fischer/ sind Wücker in der
Aare/ die ihren Geburts-Tag nicht überleben/ wie Dalecham-
pius bezeuget.

En! quia de Oraclo Delphorum oracula profers,
Et Tripodem narras, sit Tibi jure Tripus.
Ergo quid poscis versus peramande sodalis?
Artificem quemvis prædicat ipsa manus.

*Paucis hisce erga Eruditissimum Dominum Respondentem,
prolixum amoris affectum exponere voluit, debuit
gratulabundus*


CHRISTIANVS KÜCHELBECKER
Neostadio ad Orlam Variscus.

In dem Er werther Freund! durch seiner Sinnen-Wiß
Mit Ruhm eröffnet hat Apollens Thron und Sitz/
Wird man ins künfftige im Ehren-Tempel sehen/
Daß Sein belobter Nahm da werd geschrieben stehen.
Ich wünsche Glück darzu / daß Pallas ihren Sohn
Vor Seinem stetem Fleiß verehrt die Ehren-Eron.
So gehts. Die können nicht zur Ehr mit Ehr gelangen/
Die nicht zur Tugend-Kirch zuvor sind eingegangen.

Mit diesem schlechten Zeilen wolte dem Herrn Re-
spondenten/ als seinem wehrtesten Freunde
schuldigt aufwarten

MARTINUS WEYH, Norimbergensis.

F I N I S.



B.I.G.

Farbkarte #13

X 185 3/15



A & Ω.

ORACVLVM APOLLINIS DEL- PHICVM

PRÆSIDE

CASPARE SAGITTARIO
Histor. Prof. Publ.

Placidæ Συμφιλογέντων disquisi-
tioni sisto

JO. DAVID HEBENSTREIT
NEOSTADIENSIS VARISCVS.

Ad d. Octobr. Anno MDC LXXV.

J E N Æ.

STANNO BAVHOFERIANO.



40

